e-codices

aureſ eorū grauiter audierunt; Aureſ eorū · ſci
licet interioriſ affectuſ; Non enim caro peccat ·
que ſuum ſeruat officium · & recipit auditum ·
ſed animuſ puri audituſ · prauuſ interpreſ; qui
recuſat audire que audiuntur · intellegere que
leguntur; Qui aureſ tamquā cera & plumbo clu
ditiſ · & tamen dominica beneficia · & officia na
ture · non poteſtiſ excludere; Auditiſ inuiti ·
auditiſ faſtidienteſ · auditiſ · ne quod non audi
eritiſ · excuſare poſſitiſ; Auditiſ ergo cū legi
tur · In principio erat verbum; Quiſ hoc dicit ·
Johanneſ utique · ille piſcator; Sed non quaſi
piſcator hoc dicit · ſed quaſi humani piſcator
affectuſ · quia iam non piſceſ caperet · ſed homi
neſ uiuificaret; Non ſuum ē quod dicit · ſed ei
qui uiuificandi ei tribuit poteſtatē; Piſcator
enim ipſiſ quoſ ante capiebat piſcibuſ tacitur
nior erat · & circa diuina myſteria magiſ
mutuſ · qui uociſ ſuae neſciebat auctorem;
Sed uiuificatuſ a xp̄o · vocem audiuit in iohan
ne · verbum agnouit in xp̄o; Et ideo plenuſ

Licenza: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 102, p. 222 – Ambrose, De spiritu sancto and De incarnationis dominicae sacramento . Victricius of Rouen, De laude sanctorum (http://www.e-codices.ch/it/csg/0102/222)